



neque aut omnino, quod B. L. pace scripserim, memoria mihi excidit humanitatis ac beneficiorum maxime insignium, quibus me, triennio abhinc ferme in regia atque electorali Vrbe Hannouerae commoratum, alligauit, aut suauissimorum sermonum, quos mecum iterum iterumque conferre, immo & multam semel in noctem producere, haud est grauatus *Maecenas quidam Generosissimus aequae ac Consultissimus a)*, in primis de *Codice Iudaeorum Olsnensium Ebraeo*, quem me in Bibliotheca Iudaei Oppenheimeri Rabbinica oculis ibidem perlustrasse meis, quemque *ex parte adhuc superstitem esse*, contra eorum opinionem, aiebam, qui immani illa tempestate, A. O. R. ∞ Io xxxv. Olsnae Silesiorum die Aegidii oborta, omnia eius exemplaria stupendum in modum disiecta, multis inducti causis, sibi uerisimilioribus, urgent. Quoniam vero eo tempore serio uelle peruisus est *Maecenas hic meus*, sententiam de Codice isto meam literato

A 3

cum

---

a) Haud inficias eo, hunc esse *Dominum Adamum Balbafarem a Werner*, Potentissimo Magnae Britanniae Regi & Serenissimo Brunswicensium Electori a Consiliis Aulae & Iustitiae, ac Parentem Filii Vnici & maximae Spei, *Io. Christiani*, in Academia Lipsiensi Studio Legum tempore hoc perquam sedulo incumbentis, cui ut Domestico & Auditori quondam meo Charissimo *Epistolam de Terra Pascheruicensi*, ante biennium in lucem missam, dedicarem, tenerrimus meus in Ipsum amor tum iniungebat.